



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XVII. Ad litteratos, & studiosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Instructio meritoria,*

Benedictum os ! cor benedictum , cui non aliud verbum , quàm Nomen Jesu ! Parvule ! Assuescat manè , meridie , & vespere frontem signare titulò triumphalis Nominis Jesu , & fugient partes adversæ . Tentatur , tristatur quis ? Veniat in cor ejus Jesus ! monet D. Bernardus .

## EXHORTATIUNCULA XVII.

## Ad Litteratos , &amp; Studiosos.

## I.

**S**Tude sapientiæ , Fili mi ! Altiora tamen te ne quæsieris , & fortiora te ne scrutatus fueris . Novisse Deum & seipsum est summa scientiarum . Huc ! huc nostra colliment vota , & studia .

*Instructio meritoria.*

Resistendum ergò nimio curiosa , & inutilia sciendi desiderio . Ne prævaleat , ante studium flectamus , *tribus Pater* , & *Ave* intellectum , voluntatem , & memoriam SSS . Trinitati commendemus , & ab hymno : *Veni Creator Spiritus* &c . studia inchoemus . Ab oratione ò quanti Ecclesiæ Doctores SS . Augustinus , Gregorius , Thomas , & Venerabilis Beda !

## II.

**P**Rudentia , ò Venerande ! absque simplicitate malitia est ; & simplicitas sine ratione stultitia est : verba sunt S . Hieronymi . Nos utramque jungamus , prudentiam simplicitati ,

nos ipsos in vita Christiana nunquam negligendô: Et simplicitatem prudentiæ, neminem ob egregiam scientiam contemnendô, traducendô, aut vilipendendô. Quid enim habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus: unde præsumamus?

*Instructio meritoria.*

Prudentes simus: sed non solum nobis, rogat Magnus Basilius. Charitas, si quæ in nobis, diffundatur & in alios. Ut fiat, duodecim Pater, & Ave cum Lytaniis de Spiritu sancto oremus. Sunt huic totidem fructus: Cur non petuntur? Quæruntur?

III.

**A** Mandissime! Infructuosè laborat, qui quotidie finem non spectat, ad quem nostri dirigantur sudores, & studia. Sed quis finis Christiani solidi, & Litterati sapientissimi? Solus Deus. Pro hujus Nomine vigilandum, studendum, & laborandum quotidie. Ah! quid perduntur tempora, quærendô terrena, corporis commoda, vel nomina vana, fastuosa, inania? Non inscribitur libro vitæ, nisi nomen humilis, & obedientis Christiani.

*Instructio meritoria.*

Sit tessera actionum: Deo, & aternitati laboro: Ne deficiamus litteris incumbendô, in Ductores, & Magistros nobis quotidianos statuamus, quatuor Ecclesiæ Doctores SS. Hieronymum, Augustinum, Gregorium M. & Ambrosium, eosque de omni die quatuor Pater, & Ave

Ave veneremur, additâ communi collectâ: *Excita, quesumus, Domine! in Ecclesia spiritum, cui sancti tui Doctores servierunt: ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amaverunt, & opere exercere, quod docuerunt.* Tanti hi sunt viri in cœlo! & negliguntur? Ubi ratio? Ubi prudentia?

## EXHORTATIUNCULA XVIII.

## Ad nobiles, &amp; ab origine claros.

## I.

**G**Rande donum de manu Dei nobilitas! At dum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Degenerat, sanguinem deonestat, qui actiones, vel officia non nobiliter tractat, & peccatum amat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; sola apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus. S. Hier. Æstimatio sui est licita, si nos urgeat actio prohibita. Sanctè superbit, qui dæmonem vincit, & peccato non cedit.

*Instructio meritoria.*

Grati jam sumus SSS. Trinitati, quæ dedit tam nobilem esse, & vivere. Offeramus proin unum speciale de mysteriis Gloriosis Rosarium sacrum, & supplicemus, ut à nobis avertat pericula, animam fœdandi. Sit nobis idem cum D. Augustino desiderium: *Domine! Vim patior! Responde pro me! Malo mori, quàm fœdari.*